

V c
1471



4-
a



4 - h. XVII, 16. Q. R. XVI, 16.

Vc
1471

Q. D. B. V.
DE RAPTU
Ernesti & Alberti
SERENISS. SAXON. DUC.

In
ACADEMIA LIPSIENSI,
PRÆSIDE
DN. L. A. RECHENBERG, P.P.
Et Facult. Philos. h. t. DECANO,
Patrono & Præceptore suo Venerando,
XII. Jul. A. M. DC. XC.

H. L. Q. C.
differet
Friedrich Gotthelf Senff/
Stolpensis Misn. Alumn. Elector.

LIPSIÆ,
Exprimebat CHRISTOPH. FLEISCHER.

3
Mr. St. Pauli



DE RAPH N
Erdm. & Alberti
SERENISS. SAXON. DUC.
ACADEMIA LITERAR.



[Faint handwritten text, possibly a signature or date]





Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

Nuperius cum paullo accuratiori
mentis æstimatione perpenderem,
per quæ pericula Serenissima Saxo-
niæ Ducum Familia ad hunc, in quo
nunc constituta est, splendorem per-
venisset, in mentem venit atrox illud
Conradi Kauffungi facinus, qui du-
centis abhinc, & quod excurrit, an-
nis, illustre Fratrum Saxonorum par, *Ernestum* atque
Albertum ex arce Altenburgica raptum, in Bohemiam ab-
ducturus fuit; nisi illud auxilio divino liberatum benigna
in posteros fortuna servasset. Quod cum ita cogitarem,
primum magnitudine periculi exhorruï, quo non vehe-
mentius Celsissimæ Saxonum Domui imminuisse, memo-
riæ proditum est. Deinde vero mirabili illo auxilio,
quod divinitus Principibus nostris obtigisse constat, lætus
nunc Serenissimis Parentibus, nunc posteris gratulatus
tacite fui; simulque gratias Divino Numini persolvi,
quod hos potissimum Principes, in quos reclinata totius
Domus Saxonica spes recumbebat, & qui ex illis prognati
postmodum fuerunt, diutius his præesse regionibus volue-
rit. Servet modo splendorem hunc benignissimum Nu-
men Serenissimæ Domui Saxonicae perpetuum, & impri-
mis Celsissimum Filiorum Electoralium Par, inclutorum
A 2 Paren-

Parentum spem, nostrum vero delitium, in quo hinc Ernesti sapientiam, illinc vividam animi virtutem, qua se conspicuum Albertus ostendebat, intuemur renascentem, sospitet, defendat atque conservet. Cæterum cum in eo essem, ut profectuum Academicorum specimen Patronis exhiberem meis, haut difficulter a me impetravi, ut hanc de *raptu Principum* historiam dissertatione publica Tibi, Benevole Lector, sisterem. In qua quidem ita me geram, ut primum historiam, prout gesta est, ex incorruptæ fidei monumentis referam; deinde vero de isthoc facinore meum qualecunque iudicium subjiciam. Faxit Deus feliciter!

§. I.

Fridericus Bellicosus, Landgravius Thuringiæ & Marchio Misniæ, heroici animi Princeps, qui Alberto III. ex Familia Anhaltina ultimo Electore Saxonæ sine hæredibus defuncto, Electoralem dignitatem justis in Familiam suam titulis intulit, præter Sigismundum, qui Clericus obiit, duos reliquit Filios, virtutum ac ditionum cum paternarum, tum agnati Friderici VI. cognomine Pacifici, qui Anno 1439. sine prole decesserat, Thuringicarum hæredes. Quas cum indivisim aliquantisper tenuissent, tandem cum Wilhelmus Alberti II. defuncti modo Imperatoris Filiam domum ducturus esset, postulante eodem, dividere constituerunt. Vid. *Georg. Fabricius Orig. Saxon. L. VII. p. 707.* & *Cyriacus Spangenberg. Chron. Mansfeld. Cap. CCCXXVIII. f. 381.*

§. 2.

Hoc omnis mali origo, hoc civilis belli, quod postea Thuringiam & Misniam afflixit, initium fuit. Regebat hac tempestate Electoris aulam Georg. Bebenbergius, Wilhelmi vero Apollonius Vizthumius, Per hos, imprimis vero

vero Vizthumium, Fratrum animi ob divisionem dissidentium magis magisque exacerbati fuerunt, inimicitiam non clandestinam amplius, sed apertam utroque Fratrum exercente. Tandem Halis Saxonum a nonnullis Principibus, Brandenburgico imprimis atque Hesso, Nobilitate item provinciali, & quarundam Imperialium Civitatum legatis. his ita sopita; ut Misnia cum Saxonia atque Osterlandia Electori cederet; Thuringiam cum oppidis Franconicis possideret Wilhelmus. *Fabric. Orig. Sax. L. VII. p. 707. seqq. nec non p. 755. sq. Spangenberg. Chronic. Mansfeld. Cap. CCCXXVIII. f. 382. Sigism. Birk. S. Hellden / Saal XLI. p. 396. sqq.*

§. 3.

Veruntamen nec dum malorum extitit finis. Namque Elector propter foedus, quod cum Antistite Magdeburgico, inscio ipso, inierant Thuringi, infensior Wilhelmo, postulabat, ut Apollonium & Bosonem Vizthumios, Bernhardum item Kochbergium, & Fridericum Wizlebius, quos libelli, in quo foedus cum Magdeburgico Antistite initum continebatur, autores credebatur esse, aula ejiceret. Negare Wilhelmus & suos contra Fratrem defendere coepit. At Elector Vizthumiorum arces in Thuringia adortus, igne ferroque vastat, quæ ad hos spectare sciebat, nec Fratri etiam, qui Vizthumios fovebat, parcens. Wilhelmus contra eorum, quibus Elector favebat, arces in Thuringia occupat. Dum ita utrinque in mutua viscera sævitur; Brandenburgicus & Hesus cognati Principes, Fratres reconciliaturi, bis, sed frustra negotium Numburgi tractant. Tandem in conventu Mülhusano ad concordiam inclinantibus animis fraternis, alia de causa bellum redintegratur. Inimicitias exercebant inter se Güntherus atque Henricus Comites Schwarzburgici.

burgici. Illi Elector, huic favebat Wilhelmus. Ita dum suum quisque Clientem defendere nititur, civile incendium refuscitatum est. Wilhelmus accitis in patriam Bohemis & Brandenburgicis, Misniam cum Osterlandia vastat; Elector a plerisque Thuringicorum Comitum adjutus Thuringiam populatur. Secutus tum quoque Electoris signa est Conradus Kauffungus, nobili vir genere oriundus, perspectæque in bello & pace virtutis. Quippe & in aula Electoris, ut *Albinus* vult *Chron. Misn. Tit. XXI. p. 265.* Præfectus Prætorio fuerat, aut urbis Præfectus (*Wolt zu Aldenburg*) ut Elector ipse in literis ad Electores & Principes Imperii scriptis apud *Anton. Weckium Descript. Dresdens. P. II. Tit. I. Lit. 2. p. 167.* eum vocat; & postea Noribergensibus contra Albertum Brandenburgicum bellicam navaverat operam. Is dum Henrico Gerensî Dynastæ, Güntheri Schvvarzburgici genero, cujus oppidum ea tempestate cum Bohemis oppugnabat Wilhelmus, opem laturus est Elector, equitatu præfectus cum Nicolao Pflugio a Wilhelmianis capitur. Uterque tamen, dum 4000. florenos hosti solvit, statim liberatus est. *Fabric. l. c. p. 265. Albin. l. c. p. 265.* Idem Kauffungus impensis quoque non paucis, Electorem adversus Fratrem bellagerentem adjuverat, damna simul in Thuringia, ereptis a Wilhelmo sibi pagis passus. Itaque, ut damna hæc Elector compensaret, ipsi Apollonii Vizthumii arces atque pagos, quos ad Misniam spectantes occupaverat, attribuit; ea quidem conditione, ut reducta inter se Fratremque pace, illos pristino possessori restitueret. Quod etiam data apocha se facturum esse pollicitus est, apud laudatum *Weckium, l. c. sub signo* .p.170.

Brevi post tempore, cum auctoritatem suam Fridericus III. Imperator a Moguntino Electore instigatus interposuisset, pax inter Fratres bello haectenus collisos Numburgi firmata fuit. *Fabric. Orig. Saxon. LVII. p. 71. 9 sq. nec non p. 765. sq. Spang. Chron. Mansfeld. Cap. CCCXXX. f. 385.* Kauffungus jussus pactis inter Fratres initis stare, & quod antea promiserat, pagos in Misnia sibi ab Electore tantisper concessos Vizthumio reddere, ut ipse vicissim suos in Thuringia haectenus ademptos reciperet. Quod posterius licet factum fuerit; tamen ille sapius ab Electore interpellatus, quem & Frater Wilhelmus & Vizthumius monere perseverabant, promissis suis, quæ acceptis primum arcibus & pagis Electori dederat, stare noluit. Vindictam potius molitus est, quam de Principe suo nil tale merito sumeret, si pagos reddere vi adigeretur. Quod etiam, illo moras nequicquam neetente, paulo post factum fuit. Kauffungus ægre hoc ferens, injuriam ab Electore sibi factam, conqueritur. Noluit Elector, ut erat placidissimi ingenii Princeps, homini, si quid damni illatum ipsi fuerit, deesse. Electi itaque utrinque arbitri, Georgius Haugvizijs, Capituli Misnenensis Decanus, Georgius Bebenbergius, Principis Cancellarius, Johannes Maltizius & Janus Slünzius: hi & Electori, & Conrado Kauffungo Altenburgi constituere diem, qui Festum Johannis Baptistæ subsequitur, quo controversiæ omnes dirimerentur. Conradus, non ut Principi suo reconciliaretur, sed occasionem sceleri suo, quod corde premebat, moliturus, dicta die comparuit. Sed quo minus spei responderet eventus, non Electoris, sed Kauffungi culpa effectum est: qui postquam multa in illo conventu insolenter gesserat, tandem inconsulto Electore, Altenburgo discessit. Vid.

Literas

litteras Electoris jam citatas apud *Weckium Descript. Dresd.*
P. II. Tit. I. Lit. 2. p. 166. seqq.

§. 5.

Ex quibus manifestum est, hanc, quam jam allegavi, fuisse causam, cur iratus Electori Kauffungus, tam atrocem vindictam paraverit. Ut adeo facile appareat vulgaris ille error, quem nec *Georgius Fabricius*, nec *Petrus Albinus*, diligentissimi cæteroquin rerum Saxonicarum & Misnicarum Scriptores animadvertere. Quippe & illi *ll. cc.* & qui eos secuti sunt, *Dresserus Millen. VI. P. II. p. 428. Mich. Bobemus in Vit. Alberti Animosi. Jo. Binbardus in Chron. Thuring. L. III. p. 10. Tob. Schmid. Chron. Cygneens. P. II. C. I. p. 226. Birk S. H. S. XLI. p. 422.* uno omnes ore affirmant, Fridericum Electorem Nicolao quidem Pflugio, quam pro liberatione sua impenderat, pecuniam reddidisse; cæterum Conrado Kauffungo, quem cum coraptum esse constat, idem beneficium denegasse. Sed tum ex his, quæ hætenus dicta sunt, tum ex Kauffungi apocha, quæ omnia ex Archivis Dresdensibus excerpit *laudatus Weckius*, satis constat, Scriptores cum memoratos, tum alios quoque hujusmodi monumentis destitutos ea scripsisse, quæ vel apud alios legerant, vel fama tantum acceperant. Quæ cum ita sint, liquidum est, *Albinum* & qui eum secuti sunt, *Dresserum*, *Binbardum* & *Birkium ll. cc.* neque hac excusatione opus habere, ut affirment, lytrum, quo semet Kauffungus ex captivitate Wilhelmianorum redemerat, nullo jure ab Electore repeti potuisse, quod in bello isto Kauffungus non feudi nomine, sed stipendii gratia militaverit.

§. 6.

Licet autem spes esset, Kauffungum omisso vindictæ studio, locum salubrioribus consiliis daturum: comper-
tum

tum tamen postmodum fuit, eum clementia Electoris nequaquam in melius mutatum, sed plus iræ atq; amarulentia concepisse. Quippe non clam amplius, sed aperte minas in Principem suum spargere cœpit. Cujusmodi sunt, quod ipso Electore præsentē aliquando professus esse dicitur, non de provinciis aut subditis parare se ultionem; sed eam demum, quæ de ipso Electoris sanguine sumeretur, vindictam jucundam fore. Ad quæ Elector jucundissime & per jocum respondisse fertur: caveret saltem, ne in piscinis pisces exureret. Denique hominem, cum sæpius admonitus minas jactare non desisteret, exilio mulctavit, quod officii oblitus, non ut Vasallum se gereret, sed ea potius perpetraret, quæ hostem & perduellem arguebant. *Albin. Chron. Misn. Tit. XXI. p. 266. Fabric. Orig. Sax. L. VII. p. 770. Spangenberg. Chron. Mansfeld. Cap. CCCXXXIII. f. 397. & alii.* Ademtæ illi quoque, ut *Fabricius* affirmat, arces, Cora inter Penicam & Frobergam oppida, item Caleberga inter Penicam & Waldenburgum sita. Ex quo manifestum est, jure meritoque exilium subiisse Kauffungum, non per injuriam Friderici Saxonum Ducis, paterna hæreditate privatum patriaque expulsus fuisse. Quæ verba sunt *Æneæ Sylvii*, qui, licet non magis Bohemiæ, quam vicinæ Misniæ res actaque præclare literis mandaverit, quod de ipso judicium est *celeberrimi Schurzschleischii in Not. ad Vit. Alb. Animos. a Bohemo editam*; hac tamen in re vel famæ nimium tribuit, vel præpostero affectu in diversum abreptus fuit.

§. 7.

Ast vero Kauffungus impotentius exilii pœnam ferens, pertinacior factus est, inque Bohemiam commune perduellium Misnicorum ea tempestate asylum profectus, empta arce Isenberga, cum Vizthumiis, qui & ipsi

B

patria

patria exules eo confugerant, communicare consilia cœpit, vindictam de Principe Friderico quocunque modo sumpturus. Cæterum gravius eum in Principem suum consulere vix potuisse, constat, quam si consilium auferendi Principes juventutis, *Ernestum* atque *Albertum*, *Electoris Filios*, fulcra totius Domus Saxonicæ, iniret. Namque hæc ipsum cura dudum fatigaverat. Itaque tum quoque, cum ad componendas cum Electore similtates in arce Altenburgica comparuisset, cum complicibus aliquot, omnes in arce aditus, Principumque cubicula, & quam procul a terra fenestræ abessent, diligenter speculatus est, quod in literis sæpius citatis Elector de ipso conqueritur. Deinde patria pulsus coquum, cognomento Schvvalbium, muneribus & pollicitationibus corruptum, in Electoris aulam misit, per quem, quæ vellet, secreta exploraret. Is quidem statim, ut *Fabricius Or. Sax. L. VII. p. 770.* vult, inter ministros; vel, ut reliqui, quos legi, omnes asserunt, inter culinæ famulos receptus, promissis fidem fecit, & quæ Conrado ad perpetrandum scelus utilia putabat esse, aut ad eum perscripsit ipse, aut Wilhelmo Moseno & Wilhelmo Schönfelsio, nobili in Osterlandia genere ortis, quos in societatem sceleris Kauffungus asciverat, perscribenda transmisit. *Fabricius l. c. Alb. Chron. Misn. Tit. XXI. p. 266. Dress. Millen. V. P. II. p. 428. sq. item Binhardus & Schmidius ll. cc.*

§. 8.

Tandem coquo 14. ferme dies, ut *Bohemus* vult in *Vit. Alb. Animosi*, hoc ministerio functo, commoda sceleris occasio oblata fuit. Profectus enim Lipsiam negotiorum causa Elector, Filios, *Ernestum* atque *Albertum*, in arce relictos curæ fideique ministrorum commisit. Ita narrat *Fabricius Orig. Sax. L. VII. p. 771. Albinus vero Chron. Misn. Tit.*

Tit. XXI. p. 267. &, qui ipsum in hac historia descripsit, *Dresserus Mill. VI. P. II. p. 429.* Comiti cuidam Barbensi commissos esse Principes, referunt. Quod unde hauserint, non equidem constat, probabile tamen non est, fuisse eo tempore in aula quendam ex hac prosapia comitem; cum de eo apud omnes Historicos altum sit silentium: nisi forte eum *Albinus* intelligit, quem postea a Moseno per errorem pro Alberto raptum, & ipse, & alii memoriae prodiderunt; cui tamen per aetatem Principes commode committi non potuere. At coquus, comperto Electoris itinere, statim, quid gereretur, Kauffungum certiore facit. Et is nil moratus, socios sceleris, quos antea conduxerat, sibi adjunxit, Bernhardum a Trebin, Hensil Herdin, Geveller, Wilhelmum a Mosen, Wilhelmum a Schönfels, Wenceslai Trebis filios, Nicolaum a Forst, Ruvvormium, Albertum Adolfum, quorum catalogum ex Archivis Dresdensibus excerpfit *Weckius Descript. Dresd. l. c. p. 172.* Placuit his alios quoque jungi, qui se cum sociis in arce sceleri intentum armati expectarent, simulque excubias agerent. Caterum horum numerus exacte non liquet. *Fabricius* nihil hac de re memoriae prodidit. *Albinus* l. c. in universum nominat equites 35. pedites vero 10. quem etiam suo more sequitur *Dresserus l. c.* nec non *Binhardus Chron. Thur. L. III. p. 11.* *Bohemus in Vit. Alb. Anim.* dispositos ad facinus equos 32. & octo alios complices, memorat; mentione simul de equis 35. quos alii adducunt, facta. Neque etiam ex literis Friderici Electoris saepius allegatis certi quidpiam colligi potest. Istae enim dum equos 36. nominant, dubium est; num Conradi & complicum, quos cum ipso arcem ingressos esse, constat, equos includant; num excludant. Sic & de tempore hujusce raptus discrepantes

invenias autorum sententias. Namque *Spangenbergius*,
Albinus, *Binhardus*, *Schmidius* II. cc. verum annotavere
tempus, annum nempe 1455. diem vero 7. Julii, diem, qui
S. Chiliano consecratus est, proxime antecedentem.
Quippe & hoc tempus ipse Elector in lit. cit. annotavit.
Fabricius vero, dum alios recteque sentientes, nescio qua
de causa, reprehendit, ipse perperam annum 1454. nomi-
nat; cum tamen postea sui immemor in *Annal. Misnenf.*
L. II. p. 65. recte annum 1455. designet. In priori eum suo
more secutus est *Birkius* S. H. S. *XL. p. 422.* *Dresserus*
autem, suane, an typographi culpa, incertum est, mi-
nus recte d. 2. Julii adducit. *Kauffungus* memorata supe-
rius die, copiis, quas modo dixi, instructus, intempesta,
ut *Dresserus* vult, nocte, circa horæ undecimæ & duode-
cimæ confinium, ad arcem Altenburgicam pervenit, cæ-
terisque haut procul inde jussis subsistere, ipse cum iis,
quorum supra relata nomina sunt, (minus recte sex *Albi-
nus* aliique annotant) per petra, cui imposita arx est, præ-
cipitia, ad mœnia arcis penetravit. His ope scalarum,
quas e corio confectas fuisse, ex *Paulo Grævio Albinus* re-
fert, duce coquo superatis, per sublimem fenestram, cui
per servum sub noctem in arcem missum applicari scalas
curaverat, (quod Elector in lit. cit. refert) ascendit. Quod
vero *Sebast. Francus Chron. Germ. f. 267.* & cum eo *Münste-
rus Cosmogr. L. V. Cap. CCCLXXXIII. p. 1154.* affirmant, *Kauf-
fungum* ipso Principum pædagogo adjutore in arcem a-
scendisse, id contra *Annalium Misnicorum* fidem fieri,
recte monet *Albinus l. c. p. 268.*

§. 9.

Ut primum ingressus arcem est *Conradus*, objectis
exterius repagulis, ne quis exire posset, Electorissæ, &
Aulicorum, qui in arce remanserant, cubicula firmavit.

Deinde

Deinde recta ad Principum cubiculum, quod jam cognitum habebat, ipse contendit. Quo celeriter aperto, quominus adolescentes nobiles, qui Principibus ministrabant, præceptor item & morum magister, ut *Spangenberg. Chron. Mansfeld. Cap. CCCXXXIII. f. 398.* & *Bobemus in Vit. Alb.* referunt, clamorem ederent, atrociores minas sparsit. Autor est *Albinus Chron. Misn. l. c.* Ernestum, grandiorum natu Principem, strepitu hoc excitatum, vocata virgine quadam, cui a teneris assueverat, dixisse, adesse Conradum Kauffungum se cum Fratre occisurum, properanter indicaret Matri, quo auxilio ipsis adesset. Interea minorem quoque somnus reliquerat. Quem cum Fratre pavitantem conspiciens Conradus, ambos humanissimis verbis alloquitur, tutos ab omni vitæ periculo ipsos fore, si se lubentes sequantur, edocens: sin rupto silentio sequi renuant, in maximo discrimine ipsos fore, nudata sica ostendit: se quidem raptu hoc jus suum quærere, quod ipsorum potissimum intercessione ab inhumano parente consecuturum se, speret. Nec mora, Ernestum manu prehensum ipse abducit. Qua quidem in re dupliciter errantes autores nonnullos deprehendi. Nam quod *Sebastian. Francus Chron. Germ. f. 267.* nec non *Münster. Cosmogr. L. V. Cap. CCCLXXXIII. p. 1154.* & *Jo. Lud. Gotthofred. Chron. L. VI. p. 667.* funibus constrictos fuisse Principes, asserant, id cum historicis Saxonis, quibus majorem hac in re fidem tribuo, pugnat. Deinde quod iidem autores cum *Spangenbergio Chron. Mansfeld. l. c.* affirmant, utrum Principem a Kauffungo simul abductum esse; id ex eo falsum esse, deprehenditur, quod ab ipso quidem Ernestum abductum; cæterum, quod ad Albertum attinet, eum curæ Moseni commissum esse, e certioribus monumentis constet. Neque tamen in eo *Fabricio & Albino*, cumque his *Bobemo ll. cc.* assentiri velim, qui non per scalas demis-



fos, sed per arcis portam incustoditam eductos esse, tradant. Neque enim credibile est, adeo socordes fuisse aulicos, ut incustoditam reliquerint portam, aut, ut illa tam facile potuerit aperiri. Accedit & hoc, quod, ipso Electore in lit. cit. asserente, Conradus humiliori alicui fenestæ, quam, dum præfectus arcis esset, ferramentis quodammodo munierat, ligneas scalas, quæ & extendi, & contrahi pro lubitu possent, applicuerit, eum in finem, quo in descendendo sublimitatem evitaret, celeriusque evadere posset. Mosenus iussis socii satisfactorius, pro Alberto, qui sub lecto abdiderat semet, Comitem quendam Barbensem, qui una educebatur, comprehendit. Ast Conradus, errore animadverso, mox Ernestum socio tradens, & conclave repetens, Albertum sua educit dextra. Quem cum e somno forte strepitu hoc excitata uxor Electoris e fenestra prospiciens agnovisset, & foribus a Kauffungo occlusis, egredi cubiculo nesciret, sublata cum lachrymis voce, in hunc ferme modum fugientem deprecata est: vereretur ipsam & charissimum Conjugem tanta injuria afficere: parceret Filiis, quo facto facile omnia impetraturus sit, quæ postulasset. Quibus, si *Binbarde Chron. Thuring. L. III. p. 11.* fides est, Conradus similia fere, quæ pavitantibus Principibus dixerat, respondit. Dehinc susque deque habitis precibus Matris, properanter cum præda ad socios contendit. *Fabric. l. c. Albin. l. c. Dresser. Mill. VI. P. II. p. 430.* aliique.

§. 10.

Statim igitur Albertum, quippe magis robustum, ætate licet altero minorem, equo impositum deportat, ad fines Bohemiæ, quantocunque poterat, cursu festinans. Sperabat enim se tutius ibi posse latere, tum quod, ut supra dictum est, in Bohemiæ finibus munitam possidebat arcem,

arcem, cui inclusos Principes magno pecuniæ pondere a Parente liberatum iri, persuasus erat; tum quia propter superiorum bellorum memoriam Bohemi Misnensibus adhuc infensi erant. Alterum Principem Ernestum curæ sociorum commiserat in Franconiam deducendum: qui equum ea de causa adductum ei tradunt, ac ab utroque latere corporum suorum custodia cinctum abducunt. Priusquam vero a se invicem discederent, mutua fide data, inter se conspiraverunt, ne una eademque via raptos ducerent, neve alter sine alterius voluntate, tradito Principe, causam componi permetteret. Facile namque videbant, fore, ut palam plagio factò, ingentes turbæ celerisque infectatio futura sit. *Fabric. Orig. Saxon. L. VII. p. 771. Albin. Chron. Misn. Tit. XXI. p. 268. sq. Birck. S. H. S. XLI. p. 424.* Quanquam, ut postea dicitur, capto plagii auctore, Moseno & Schönfelsio, Serenissimorum parentum experiri gratiam, quam nefandis stare pactis, tutius visum fuerit.

§. II.

Hæc dum geruntur, plerique, quos Elector Altenburgi reliquerat, Aulici, instructo in urbe convivio, genio strenue litabant, posthabita, quam in mandatis dederat abituriens Elector, Principum cura, deque salute eorum securi. Sed postquam cum præda discesserant plagiarii, celeriter eorum, quos tanti tumultus excitaverant, indiciis scelus patefactum est. Quod deinde tota urbe vulgatum ingenti pavore non cives magis, quam ministros Electoris, qui in urbe epulabantur, complevit. Animadvertentibus enim, sed sero, neglecta Principis sui mandata, abductos, spem totius inclutæ Familiæ, Principes, ipsorum securitatem atque incuriam tantæ calamitatis causam esse. Præ cæteris nobilium puellarum, quæ in
gyne-

gynecæo alebantur, luctus eminuit, Principes suos, illum florem juventæ, non ficta animi mœstitia deflentium. Ast ministri, quod primum remedium tam præceptis necessitas suggererat, literas ad Electorem Lipsiam profectum misere, quæ quamprimum tristissimo tantæ cladis nuncio mitissimi Principis aures onerarent. Vix fidem adhibuit optimus Princeps. Dehinc in agris oppidisque vicinis ære campanarum signa data sunt, ut cives & agricolæ plagarios insectarentur. Neque segnius ministri emiserunt, qui, quantacunque possent, festinatione latrones insequerentur: ipsi quoque, hoc erga Principes suos ministerio functuri, adductis equis strenue calcaria subdiderunt. *Fabric. Orig. Saxon. L. VII. p. 771. Albin. Chron. Misn. Tit. XXI. p. 269.*

§. 12.

Ast vero plagiarii ex pacto, quemadmodum dictum est, diversum iter ingressi sunt: ut, uno in fuga deprehenso, elabi alter, atque pro socio incolumitatem pacisci posset. Ipse Conradus per avios saltus, & infesta sentibus atque dumetis loca, quæ ipsi multiplici itinerum usu innotuerant, iter in Bohemiam ingressurus, primo sylvam Altenburgo vicinam, quam vernaculo idiomate die *Reine* vocant, petiit; dein per nemora Rabensteino proxima prope Elterlinum oppidum & cœnobium Grünhainense, postquam dies illuxerat, pervenit. Ibi cum magis magisque campanarum pulsum hinc & illinc audisset increbrescere, per sylvas Grünhainenses festinans, circa meridiem ejus diei in lucum Wisenthalio proximum venit. Vid. *Albin. Chron. Misn. Tit. XXI. p. 268. sq.* Interea focii sceleris Ernestum ad Pastorem quendam, Hartenstei-
nam, ut, nonnullos affirmare, autor est *Albinus*, deduxerunt. Deinde in Franconiam iter facturi, cum in syl-
vam

ram prope arcem Steinam, quæ a Mulda fluvio, & monte, quem niveum incolæ vocabant, in quo paulo post oppidum conditum montis nomen adhuc retinet, non procul distant, pervenissent, tumultu & campanarum sonitu territi, anxii quoque de flagitii admissi eventu, diutius ibi substiterunt. *Albin. l. c. p. 268. sq. it. p. 271.*

§. 13.

Cæterum placuerat divinæ providentiæ, ut Kauffungus, quem primum sceleris autorem fuisse, constat, primus in scelere deprehenderetur, & quidem hoc modo: Albertus appetente meridie, lassus vigiliis & equorum concussione, cum non amplius milliari dimidio Bohemici abessent fines, famam conquestus, cibum potumque a Conrado petere occœpit. Quod non fami, sed astutiæ Principis, tempus illis, quos ipsum investigare, campanarum pulsus ostendebat, extracturi, nonnullos tribuere, monet *Albin. l. c. & Dresserus Mill. VI. P. II. p. 431. sq.* Hæc utcunque se habeant, Kauffungus & ipse de salute Principis sollicitus, comitibus, quos secum habebat, præter duos ulterius ire iussis, cum Principe equo descendit, paraturus interim, autequam Bohemiam attingeret, ipsi cibum, quem nemoris natura & anni tempus sponte suggerbant. Cum enim frequens in illis locis fragorum copia esset, uterque decerpere illa aggrediebatur. Quod autem *Sebastianus Francus Chron. German. f. 268. Spangenberg. Chron. Mansfeld. Cap. CCCLXXXIII. f. 398. Münsterus Cosmogr. L. V. Cap. CCCLXXXIII. p. 1154. Gothofred. Chron. L. V. p. 667.* nec non *Mich. Bohemus in Vit. Alb. asserant,* Kauffungum a carbonario, de quo postea dicetur, cibum potumque postulasse, id ejusmodi est, quod astutiæ plagiarii, quanto indagaretur opere, ex campanarum pulsu colligentis, repugnat. Neque est, cur a *Fabricio* atque

C

Albino

Albino ll. cc. monumentis certioribus subnixis temere recedam. Ergo utrique in decerpendis fragis occupato supervenit forte carbonarius, canis latratu in eum locum deductus. Is Conradum lorica indutum, tenentemque manu equum, pueri vero erectam & generosam indolem conspicatus, quærit, unde cum puero veniat, quove eundem ducat? Ille respondet, contumacem esse servulum, quem ex fuga ad pristinum dominum reducere pararet. Dum inter hos sermones progrediuntur, Kauffungus fructicetis per imprudentiam implicitus est, hærensque extricari nullo modo potuit. Interea Princeps, arrepta rei bene gerendæ occasione, in aurem carbonario insusurrat, Ducem se esse Saxonicum, Friderici Electoris filium, per vim abductum: hortatur, ut scelus tantum vindicet, de præmio tali beneficio debito interim securus. Ex equitibus unum, quos Conradum secum retinuisse, supra memoratum est, talia audientem stricto in Albertum gladio irruisse, sed levi corporis declinatione ictum a Principe vix evitatum esse, refert *Albinus l. c. p. 270.* Ast carbonarius audito Principis sui nomine, equitis quoque pertinaciam conspicatus, furibundus in prædonem jacentem adhuc & nequicquam reluctantem sude irruit, interfectorum illum haut dubie, nisi a Principe prohibitus esset. Uxor carbonarii strepitu hoc, insuperque canis latratu excitata, percussa securi, notum vicinis signum dat. Nec mora, carbonarii, latrones adesse rati, armisque, quæ cuique furor & impetus ministraverat instructi, adsunt, vinctumque Conradum iis tradunt, qui, jussi investigare fugientem, forte supervenerant. Conradus quidem postea Cygneam deductus est; socii vero sceleris dominum antegressi, rerum, quæ gererentur, ignari, a ministris Abbatibus Grünhainensis capti sunt. Ast Albertus in casa carbonarii

narii pane refectus aceroso, Grünhainium ad Abbatem deductus, Parentibusque secundo post raptum die restitutus est. *Fabric. l. c. p. 771. sq. Albin. l. c. p. 269. seq. Dress. l. c. p. 431. sqq. Bobem. in Vit. Alb.*

§. 14.

Interea sex quoque ex eorum numero, qui Ernestum captivum deduxerant, in fuga deprehensi sunt: extorti quoque fugientibus decem equi, qua de re mentionem facit ipse Elector in lit. cit. Mosenus autem & Schönfelsius cum servis duobus prope arcem Steinam in antro sylvestri in tertium usque diem latitaverant, fragis & radicibus, aqua item palustri, ut *Bobemus in Vit. Alb.* autor est, victitantes. Namque hinc campanarum pulsus, hinc ministrorum ipsos persequentium strepitus, hinc fama de suorum clade pavidas ipsorum aures impleverat. Ergo apud Principem suum, quod *Bobemus* vult, prius incolumitatem pacti, ad Fridericum Schönburgium, illustri & antiqua prosapia oriundum, Capitaneum Cygneensem, quem perperam *Fabricius & Albinus*, & qui eosdem secuti sunt, Vitum appellant, literas scribunt, si vitæ ipsis bonorumque incolumitatem nomine Electoris polliceretur, sua sponte Ernestum reducturos esse, promittentes. Nec promissis fides defuit. Nam celeriter accepta a Schönburgio fide, pedibus iter ingressi, in arcem Capitanei Hartensteinam, Principem deduxerunt. Quid de ipsis postmodum factum fuerit, non memini, me aliquid legisse; nisi quod *Bobemus l. c.* dicat, Moseno cibo potuque refecto generosum equum ab Ernesto dono datum esse, jussum insuper eum patria excedere, nec ullo unquam tempore reverti. Neque repugnat illi, quod *Fabric. de Elector. Saxon. p. 21.* & in *Annal. Misnens. L. II. p. 65.* ipsos veniam & impunitatem

consecutos esse affirmet: quia incertum est, an de vita tantum, an bonorum etiam incolumitate loquatur. Ernestus vero non Altenburgum primo ad matrem, quod *Albinus* affirmat *Chronic. Misn. Tit. XXI. p. 271.* sed quod ex literis Electoris saepius allegatis constat, die Veneris post raptum, ad Parentem, qui, cognito plagio, Lipsia Chemnitium se receperat, deductus est.

§. 15.

Cæterum eo quoque die 14to Julii, Mater Principum cum Alberto pervenit. Inde die sequenti Ebersdorfium, dimidio hinc milliari distitum, profecti sunt. Quo in pago, qui ea tempestate religiosi hominum nimis, quam decebat, devotorum peregrinationibus frequentabatur, Mariæ Virgini solennes gratiarum actiones persolutæ sunt. Quibus peractis, eodem die Rochlitium profecti, die decimo sexto Julii Altenburgum rediêre. Hinc non ibi modo, sed in tota quoque ista regione Festum summa animorum alacritate & lætitia celebratum est, in quo grates actæ Divino Numini sunt, quod Principes hosce, qui totam Saxoniam Domum, tanquam columnæ sustinebant, conservaverit. Instituta paulo post Ebersdorfii in honorem B. Virginis a Principum parentibus ædes Collegiata, quæ ex dimidio ad templi Cathedralis dignitatem accederet. | Suspensæ ibidem quoque Principum vestes, quibus induti fuerant, cum carbonarii toga, additis sequentibus versibus, quorum autor creditur esse Egranus:

Conradus Kauffung animo truculentus & asper,
Misnensis, petiit ditia rura soli.

Ingressus celsam, collectis fraudibus, arcem,
Quæ jam Altenburgi nomina clara tenet,

144

*Illustris rapuit Friderici pignora chara,
Quorum vestes hic aspice, quisquis ades.
Has Pater, ut pueri fuerant ex hoste recepti,
Obtulit in templo, Virgo Maria, Tibi.*

Vid. hæc omnia describentem *Albinum Chron. Misn. Tit. XXI. p. 271. & 273.* qui etiam vestes suspensas describit *l. c. p. 274.* nec non *Birk. S. Helden - Saal XXI. pag. 426.*

§. 16.

Carbonarius jussus petere, quod vellet; cum vel maxima etiam præmia impetrare potuisset, tantum lignorum sibi dari petiit, quantum ad se cum familia alendum opus foret. Admiratus Elector hominis agrestis simplicitatem, quod jam insigne aliquod prædium cum magni argenti pondere ipsi dono dare constituisset, non has modo carbonarii preces ratas habuit; sed villam etiam addidit, quam coleret, & incolumitatem onerum publicorum, aliquot itidem siliginis modios, qui quotannis ipsi, ejusque hæredibus erogarentur. Vid. *Fabric. Orig. Saxon. L. VII. p. 272. & Albin. Chronic. Misn. Tit. XXI. p. 274.* Cæterum carbonarium hunc cognomine Baccalari dictum fuisse, notat *Albinus l. c.* a quo originem suam jactaverint *Vogelhauptii Schnebergæ, Forsteri itidem Altenburgi*, quæ familia duos insignes Jurisconsultos dederit. Quod autem, *Trummeros* eandem sibi originem vendicare, affirmet idem *Albinus*, id male intellecto nomine, ab ipso fieri, opinatur *M. Paulus Martinus Sagittarius, in Programmate publico de Plagio Kauffungi*: quia *Trilleri* iidem vocentur. Idem carbonarium hunc vocat *Schmidium*, cujus nepos, *Bartholomæus Schmied*, ab Augusto Electore vocatus sit *Triller*:

ler: ex eadem familia seniore hodieque quatuor frumenti modios ex præfectura Cygneensi quotannis accipere affirmat.

§. 17.

Restat denique, ut, quale de Conrado complicitibusque supplicium sumtum fuerit, edisseram. De cuius tempore dissentientes videas autorum sententias. *Spangenbergius Chron. Mansfeld. Cap. CCCXXXIII. fol. 398.* diem Conrado emortuaalem constituit 21. Julii; Verum Elector ipse in lit. cit. supplicium de Conrado die Lunæ post perpetratum plagium, sive die 14to Julii sumtum esse, testatur. Quod & recte asserit *Albinus Chron. Misn. Tit. XXI. p. 272.* qui etiam Fabricium reprehendit, quod Conradum pœnarum de sociis sumtarum spectatorem adhibitum esse, memoriæ prodiderit; cum illi majorem partem post Kauffungi supplicium capti, die 28vo Julii Cygneæ candenti forcipe dilaniati, inque quatuor partes dissecti fuerint. Quem diem etiam nominat *Spangenbergius.* Quod quidem nescio, an cum literis Electoris, quæ die Saturni post Jacobi diem, nimirum die 26to Julii scriptæ, socios Conradi Janum Schvveinicum, Schvvalbium proditorem, aliosque, quorum numerus incertus est, Cygneæ jamjam capitali supplicio affectos fuisse, memorant, facile conciliari queat. Interim, quo die de Conrado Kauffungo sumtum supplicium fuerit, id ex antea dictis certum est. Quod quin prorsus evitaret, non multum abfuit. Habebat enim in aula Electoris summæ auctoritatis necessarios, Hildebrandum Einsidelium uxoris suæ fratrem, Marschallum: Nicolaum Schönbergium, affinem, Hugoldum Sleinicum e sorore nepotem. Hi rem deduxisse dicuntur eo, ut Elector data ipsi vitæ venia, internuncium
cum

cum diplomate Freibergam eo nomine miserit. Cæte-
rum, is cum Conrado capite jamjam plectendo, portæ
clausæ essent, in urbem intromissus non est. Kauffungus
itaque, cum ad mortem duceretur, atrox facinus a se com-
missum esse confessus est; sed tamen ignoscendum, quod
vitæ Principum, quam in manu habuisset, pepercerit;
maxime cum occisis ipsis, faciliorem evadendi occasio-
nem indeptus fuerit. Cum autem ab iis, qui Electoris
nomine aderant, non audiretur; nihil, quod morte expi-
andum esset, a se admissum, conqvestus esse dicitur. Cum-
que plagii crimen ipsi objectum esset, ut illius se esse reum
crederet, persuaderi non potuit. Paulo post autem cir-
ca quartam diei horam, in foro, capite truncatus est. Post
mortem concessu Casparis Præsulis Misenenensis e Schön-
bergiorum familia, Conradi avunculi, corpus ejus fere-
tro, quem panno auro intertexto operuerant, impositum,
inque templo Petrino quod Freibergæ est, humatum fuit.
Mox tamen jussu Electoris & Willhelmi fratris effossum,
vel Naundorffii, vel Neukirchii pagis Fribergæ vicinis,
(qua in re autores variant) tumultatum est. Dum vero
Spangenbergius l. c. Kauffungo commune cum furibus se-
pulchrum assignat, errorem exinde ortum crediderim,
quod referente *Bobemo in Vit. Alb.* dignum eundem Wil-
helmus pronunciaverit, qui sub patibulo sepeliretur.
Paulo post Conradi frater Ditericus, qui postquam lauda-
ti Principes abducti essent, *nido relicto, vultures sublato* di-
xerat, Altenburgi capite propter linguæ petulantiam ple-
xus est: ejus vero ministro Francisco, si *Bobemo in Vit. Alb.*
credendum est, gula laqueo fracta. Vid. præter hunc *Bo-
bemum, Fabric. Orig. Sax. l. c.* nec non *Albinum & Dresserum*
H. cc.

Quibus ita peractis, cum longe lateque fama vulgasset, maximis injuriis Kauffungum ab Electore affectum esse; ipse, quo a semet suspicionem removeret, hanc ad Electores & Principes nonnullos imperii epistolam scripsit, quam ex laudati *Anton. Weckii Descript. Dresd. p. 166.* quia totam historiam illustrat, integram adponere visum est. Ita vero illa se habet:

Unsern fründlichen Dienst zuvor / und was wir liebs
 und guts vermögen / Hochgebohrner Fürst / lieber
 Sohn / ic. Uns ist fürbracht / wie die unser Liebe und durch
 unser Lande und Fürstenthumb erschollen sie / under viel Re-
 den / die wieder und fortgetragen werden / Wir sollen Euzen
 von Kauffungen eyn merghliche Zal Geldes schuldig sien / er
 möge der an uns nicht erlangen / er sie derhalben mit uns ins
 Recht gangen / das Rechte werde ym verzogen / und müsse
 Rechtlos bliben / wie dann solche Worte in wiheter Erstrek-
 kung haben gelutet / das unser Liebe im verstehen möge / das
 die der Wahrheit solch Rede an uch nicht bracht sie / Thun
 wir unser Liebe wissen / daß wir Euzen / umb seines Dienstes
 willen etlich Gelt schuldig waren / des und darüber etwas
 mehr Im zu seiner Besserunge / zu sinenn uffkommen Wir
 In vergnüget han / und entrichtet / als Ihr das us dieser in-
 geschlossen Abeschrift seiner besiegelten Quitanz Uns über-
 geben / vernehmen werdet / Ins Recht sind Wir mit ym gan-
 gen / nicht von Gelt schulde / sondern etlicher Dörffer wegen /
 in Unserm Fürstenthum zu Meissen gelegen / die ern Apel
 Bisthumb zu Tanrode waren / die Wir Euzen egenant
 zustehen ließen mit Unterscheide / zu Wiederstattung ander
 Dörffer / die er im Lande zu Döringen liegende hatte / und er
 durch ern Apel ikund gnant / in den vergangen Kriegisleuff-
 ten entweret was / also / daß er die Dörffer / ern Apel zugehö-
 rig /

rig/ im Lande zu Rißen gelegen/ inenhaben solte/ der genissen
und gebrauchen/ so lange das sine Dörffer/ im Lande zu Dörin-
gen gelegen/ wieder zu sinen Händen qvemen/ Es worden die
Kriege durch Unser Oheimen und Schweger von Branden-
burg und Hessen und ander Unser Fründe abgetragen/ hin-
gelegt/ und entrichtet als ihr wisset/ und dobie unter andern be-
teidingt/ daß iedermanne das sine was er von Dörffern oder
Gütern in den Kriegisleuffen verlohren hätte / wieder inge-
geben solte werden/ Cunk egenant uf solch richtung erlangete
sine Dörffer im Lande zu Döringen und vermeinete die
Dörffer im Lande zu Rißen / die ern Apels / und Im zu
Wiederstattung dorch uns ingetan waren/ nicht zu entreu-
men/ noch an ern Apel lassen zukommen/ sondern ym die zu
Lehengute zu behalten/ wiewohl er keine Brive darobir in der
Forme von Uns hatte/ daß die Dörffer sin Lehengut sien sol-
ten. Worden wir durch Unsern lieben Bruder Herzog
Wilhelm mit Schrifften und mündlich und auch ern Apel
ersucht/ zu schaffen/ daß die Dörffer/ ern Apel zugehörig/ im
Lande zu Rißen gelegen/ nach Innhalte der Richtung von
Cunken an ern Apels Hände qvemen/ und wiewohl Wir vil
Bließ dobie hatten und bie Cunken gülich Ersuchung taten/
so kunt Wir sine Fründe/ und sunst nymands das zu thune
In vermögen/ daß er sich zu endrungen der Dörffer gebe/ und
der Richtung nachqveme/ das im der Richtung zwischen un-
sern lieben Bruder und Uns beteidingt/ nachgangen wörde/
Ist er Apel Biszhumb in sine Dörffer in Unsern Fürsten-
thum zu Rißen gelegen/ wider gesaht/ und hat die in sine ge-
wehre genommen/ darum so vermeinte Cunke von Kauffun-
gen/ Uns in Ansprache zu haben. Nu wolten wir Im der
rechten derhalben nicht vorsin/ noch sine Clage enthören/ Wir
haben Uns mit ym uff vier gewillete Schydesrichter / der
Wir und er einträchtiglich eynig sind worden/ veranlast/ Uns

D

in rech-

in rechte umb die Dörffer noch unser schriftlichen Schuld
und seiner Antwort/ auch noch seiner schriftlichen Schuld und
unser Antwort/ was unser iglicher teyle fürzuwenden hätte/
mit ym lassen scheiden/ als Ir das in dieser eingeschlossen Ab-
schrift des Anlas auch verstehen werdet/ dieselben Unser
Scheiderichter im Anlas bemeldet/ haben sich des rechten uff
solch Schulde und Antwort/die sie von Uns beyden Theilen
uffnahmen / ferne und wihet erfragit / zu Magdeburgk/ zu
Fredeberg und Liptzk / die Schepfen und andern Rechtsver-
ständigen sich Rechtsunterweisung lernen lassen / und Uns
beyten teylen einen Tag uff Vinstag Johannis Baptista an
der Herberge uff den Abend zu Altenburgk zu sien/ und uff
Mittwoch darnach uff Unser Schloß daselbst des Rechten zu
warten gesetzt / darzu Wir uff beyde Theile sind kommen/
Wir haben durch unser Fründe die Schydesrichter in Ge-
hörlichkeit um das Recht das gehen zu lassen bitten / Wir
wolten denn gehorsam sien/ Eunke von Rauffungen hat das
Recht in sinen Uermute dorch sich selbs gewiddert / und
durch viel unbillicher Inträge verhindert / und durch sine
verdächtige Hinderliste und böse Meynunge gestopffet / als
ir vernehmen werdet / Als wir nun das Recht nicht erlangen
mochten / Sind Wir mit unsern Fründen und räten bisyt in
unser Gemach gangen / mit yn geratslagt / Was nu indeme
fürzuleren / und Uns allerbeqvemst wäre / dieweile Wir rat
an den Unsern suchten / Ist Eunke mit etlichen sinen Zulegern
uff unsern Schloße zu Altenburgk herumgangen / alle
Gänge und wo unser lieben Söhne Schlaffgemach wäre /
die Höhe der Fenster abgenommen / und alle Dinge zu ful-
bringung seiner übelstat / die er in seinem Herzen verborgen
trug / eigentlich abersehen. Dobie zu mercken ist / daß Eunke
nicht um des Rechten willen zu warten / sondern Wege zu si-
ner In und Ußfart zu suchen / wie er an unsern lieben Söhnen
obel

obel getthon konte/ kommen was/ des Wir an ym kein besor-
gen hatten / Nachdem er Unser / Unser Söne/ Unser Lande
und Lüte ny kein Stunde noch Tag unsicher/ und Unser Voit
und Amptmann uff demselben Unserm Sloße zu Altenburg
gewest/ doselbs and hernachmals zu dickermal viel gutts und
zu legung ym dorch Uns und die Unsern gescheen ist/ alles uff
guten glouben und Vertruwen / die Wir zu ym für andern
hatten. So nu Cung indeme sich gesettiget hatte/ fügte er
sich vom gesaktem Tage/ Uns ungegrüßet/ in sine Herberge/
und fürder nach seiner Rothdurfft us Unser Stadt/ uff Mon-
tag Sante Kylians Abend darnach um die eilffte Stunde in
Unsern Abwesen/ do unser lieben Söne in irem Schlaffge-
mache ruheten/ steig Cung von Kauffungen und ander seiner
Nachfolger/ der Name Wir uch in dieser eingeschlossen Zedel
zu erkennen geben/ in Unser Schloß Aldenburgk / uff Gar-
leitern die ym durch eynen seiner Knecht/ den er zuvor am A-
bend uff Schloß in gülichen sinen Gewerbe scichte / an ein
hohes Fenster anbracht worden/ als er ins Schloß quam/ rü-
mete er ein ander Fenster/ das er selbs / diewile er Unser Voit
zu Aldenburg was/ mit Isewerg nach aller Rothdurfft / so
wir Uns lassen bedüncken/ und Im vertrueten/ befesten liß/
an daselbe Fenster er forke Holzleitern in einander geschru-
bet/ anrichte/ uf ein sulches das er zu seiner usfluchte die Höhe
vermyde/ und ylende wegkominen möchte/ Als er nun sine Fol-
ger in der Zedel berührt/nach sinem willen ins Schloß brach-
te / suchte er die Gänge/ die er fur uf dem Rechts- Tage ei-
gentlich besehen hatte/ und ylete für Unser lieben Söne
Schlaffgemach/ und offente das durch sine Künste/ und nam
die us ihrer Ruhe/ und ylete mit den us unsern Sloße zu si-
nen Nachrytern / die uff yn mit sechs und dreyßig Pferden/
nahen bie unsern Sloße/ warten / und karte sich mit den
gein dem Lande zu Böhem/ des Weges ungesparet/ des mor-
gens

gens am Dinstage Kiliani umb die neunde Stunde worden
den Unfern uff Slos zu Aldenburg/ Cungen und seiner Helf-
fer in der Zedel benannt/ sehedes briff noch der tat geantwort/
worden die Unfern bereite/ und folgten Im alsbalde noch uf
frischen Fuße / und quamen Cungen an und unsern lieben
Sohn Herkog Albrecht / den er selv dritte bie ym hatte/ im
Walde bie dem Closter zum Grünhain/ und brachten Unfern
Son von ym/ und singen Cungen am Dinstag Kilian: zu
Unfern Handen / der gein Zwickau in Gefengnuße geant-
wort wart/ Fürder ließen die Unfern mit der Folge nicht abe/
und siengen seiner Gefellen in der Flucht sechs/ die mit un-
fern lieben Sone Herkog Ernste einen andern Weg gein
dem Lande zu Böhmen usgeflohen waren / und drungen den
Blihenden vierzehen gesatelte Pferde abe.

Als nun Unser Blihende also gedrungen worden/ tei-
leten sie sich abermahls im Walde/ das irer Vier/ nehmlich
Wilhelm von Rosen / und Wilhelm von Schönfels / mit
zweyen iren Knechten/ mit Unfern Sone Herkog Ernste/ im
Walde in einer Steinriken in großem ungeferte bis uff den
Fritag nach Kiliani sich enthielten / Was Unserm lieben
Sone guts zu sines liebes Rothdurfft die Zyt erboten ist/ mö-
git ihr mercken / am selben Frytag griffen Wilhelm vom
Rosen / und Wilhelm von Schönfels zu Herzen/ und er-
kanten ir ubeltat/ auch das Cung gefangen was/ und antwor-
ten unserm lieben Sohn Herkog Ernste uf den Hartenstein/
dem Edelnern Friederichen von Schönburg/ unsern lieben
Getreuen / der uns unverhalten zu erkennen gab durch sine
Schrift/ das Unser liebe Sone bie ym wäre / alles dinges
unverferet/ und on alle Gebrechen/ und brachte uns den mit
ym uf denselben Fritag in unser Stadt Kempnis/ Als haben
Wir unser lieben Söhne dorch schickung des Allmächtigen
GDes/ deme Wir das danckende sien / wieder zu Uns bracht
und

und erlangit/ Us dem allen verstehet uwer Liebe wol/ daß
Eunke ußerhalb des Rechten/ darinnen Wir mit Im stund-
den/ keyne Zusprüche zu Uns hatte/ Sundern er hatt sich gein
Uns/ Unsern lieben Sönen/ als sinen natürlichen Erbherren
bößlich gehalten/ und ungetruwelich bewieset/ darumb er uff
Montag darnach zu Triberg/ sine Gesellen zu Zwickau/ sin
Frunt zu Aldenburg Iren würdigen Lohn haben genommen/
und dencken seiner Zuleger und Helffer der großen übelthat
halben mehri in straffung zu nehmen/ uwer Liebe in ganzem
Fleiß gütlich bittende/ ob ymands der Sachen Verlossen-
heit in ander Erzehlung uwer Liebe ader den unsern fürbren-
gen worde/ ir wollet des nicht gestehen noch glouben/ Es hat
sich wollit in Wahrheit wißen anders nicht ergeben/ denne
als wir uwer Liebe schrieben/ Wollet auch die unsern und wo
das eyn Nothdurfft ist/ diese unser Schrift lassen hören/ daß
sie daraus verstehen mögen/ daß Wir Eunken von Rauffun-
gen kein Geld schuldig gewest sind/ oder ym des Rechten für-
gangen weren/ das wir gegen ihm/ oder sunst ymands anders
ungerne fürnemen oder thun wolten/ und wollit uns wu das
ein Nothdurfft ist/ verantworten/ als wir uns zu uwer Liebe
des ganz versehen/ ihr thun werdet/ uch das nicht mühesam
noch verdrißlich sien lassen/ als Wir des eyn ganz Verhoffen
zu uwer Liebe tragen/ Und uwer Liebe wolle keinen Unwillen
oder Verdriß in deme haben/ das Wir uwer Liebe Ver-
lauffenheit der Sachen nicht ehir verkundet haben/ Wir
meynten etlich merckliches mehri an Unsern Blihenden/ als
Wir vertröst waren/ zu erlangen/ das sich nu uff ander Wege
gefart hat/ und hett es für sich gangen/ Wir woltens uwer
Liebe nicht verschwigen haben/ derhalben hat sich diese unser
Schrift uwer Liebe zu thun verzogen/ uwer Liebe wolle Uns
darinnen nicht ungütig vermercken/ das wollen Wir umb
uwer Liebe gerne fürdinen/ und womit Wir uwer Liebe zu

ste und Fründschafft werden mögen / sind wir willig und
thun das gerne / Geben zu Aldenburg / am Sonnabende nach
Jacobi, Anno Dni. &c. 50. quinto.

Friedrich von Gots Gnaden / Herzog zu
Sachsen / 10. Landgraff in Thüringen und
Marggraff zu Meissen.

§. 19.

Hactenus de historia facinoris Kauffungiani pro
virili differui. Jam de atrocitate ejus adhuc quædam
ex Philosophia differere mecum constitui: quæ omni-
no tanta est, quanta in civem bonum cadere nunquam
debit. Nam sive illam ἐν θέσει contempler, sive ἐν ὑ-
ποθέσει considerem, grande nefas, quod morte pian-
dum erat, certissime arguit.

§. 20.

Raptus hic famosus ἐν θέσει consideratus *Plagium*,
hoc est, *furtum hominis* dicitur; quod divinis pariter
ac humanis gentium legibus repugnat. Nam quod di-
vinum jus spectat, nota est lex Mosaica, Exod. XXI, 17.
*Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convi-
ctus noxa, morte morietur.* Quæ Deuteron. XXIV. 7.
repetitur: *Si inventus fuerit quis plagiarius* (Ebraice
fur animæ) *alicujus e fratribus suis Israëlitis filiis, & ad
quæstum abusus fuerit eo, aut vendiderit eum: omnino
morietur plagiarius ille, sic tollito illud malum e medio tui.*
Et Paulus I. Timoth. I, 10. τὰς ἀνδραποδιστάς cum scele-
ratissimis conjungit. Ἀνδραποδιστής vero juxta autorem
Etymologici Magni, ἴσ' ἂν μόνον ὁ τὰς ἐλευθέρους ἀπάγων εἰς
δουλείαν, ἀλλὰ καὶ ὁ τὰς δούλους διὰ τῶν δεσποτῶν ἀπάγων εἰς
ἑαυτόν. Apud *Varinum*, voce ἑνδεκα conjunguntur οἱ
κλέπται καὶ οἱ ἀνδραποδισταί.

§. 21.

§. 21.

Deinde ut ablatio rei alienæ juri naturæ, ita vel maxime raptus personæ, seu liberæ, seu quæ alterius imperio subest, repugnare. Violatur enim eo jus alterius acquisitum, quo dominia rerum & imperium in personas apud omnes gentes stabiliuntur. Imo, si libera est persona, simul libertate, quæ satis æstimari nequit, illa privatur. Quapropter apud gentes cultiores de plagiariis severæ sancitæ leges, & poenæ etiam de illis sumtæ sunt gravissimæ.

§. 22.

Apud Romanos, L. Fabia *de Plagiariis* extat. Ad quam *Paulus Jctus libr. Sentent. 5.* distinguit inter eos, qui civem Romanum, & qui alium abduxissent: Qui civem, ingenuum, libertinum, servumve alienum celaverit, vendiderit, vinxerit, comparaverit; hujus criminis poena erat, ut humiliores aut in metallum damnarentur, aut in crucem tollerentur; honestiores adempta dimidia parte bonorum, relegarentur. Ex Constantini lege, referente *Pitæo in Notis ad collat. LL. Mosaic. tit. XIV.* ob plagium liberi hominis, servus aut libertinus statim bestiis objiciebatur. Ex jure Imperatoris Justiniani, qui alienum servum abduxisset, morte plectebatur, ut ex Codice per est notum.

§. 23.

Apud Wisigothos lex erat: *Qui filium aut filiam alicujus ingenui vel ingenue plagiaverit, aut sollicitaverit, & in populos nostros, vel in alias regiones transferri fecerit, hujus sceleris auctor patri aut matri, fratribusq;, si fuerint, sive proximis parentibus in potestate tradatur, ut illi occidendi aut vendendi eum habeant potestatem. Aut, si voluerint, compositionem homicidii ab ipso plagiatore conse-*

confe-

consequantur, id est, solidos quingentos; quia parentibus venditi aut plagiati non levius esse potest, quam si homicidium fuisset admissum. Quod si eum ex peregrinis ad propriam regionem potuerit revocare plagiator, CCL. solidos, hoc est, medietatem homicidii exsolvat: aut, si non habuerit, unde componat, ipse se subjiciat servituti. Vid. Cod. LL. Antiquarum Friderici Lindenbrogii Leg. Wisigoth. libr. VII. tit. 3. L. 3. 4. 5. 6. Edictum Theodorici Regis num. LXXVIII. apud Lindebrogium f. 253. fuit: Qui ingenuum plagiando, id est, sollicitando in alia loca translatum aut vendiderit, aut donaverit, vel suo certo servitio vindicandum crediderit, occidatur. Apud Frisios LL. tit. XXI. de plagio mitior paulo lex erat: Si quis hominem, vel nobilis nobilem, aut liberum, vel liber nobilem extra patriam vendiderit, componat eum, ac si ab ipso fuisset interfectus, aut eum ab exilio revocare studeat. Si vero, qui venditus fuit, reversus fuerit, & eum, qui se vendiderit, de facinore convenerit, componat ei bis, juxta quod fuerat, & fol. XII. ad partem Regis componat. Ultra Laubachi vero Weregildum suum. Alii Weregildum dicunt, quod idem, ac Wera vera, seu pretii hominis solutio. Confer Caroli du Fresne Glossarium tom. II. f. 1308. sequ. Specul. Saxon. libr. I. art. 8. Emenda & Verigeldus: Syn Buthe und syn Weregeld. Were enim est pretium redemptionis. Vid. Lindenbrogii Glossarium fol. 1498.

§. 24.

Capitalem ergo poenam divino & humano jure in plagiarios decretam fuisse olim, ex dictis jam abunde constare potest. Quare cum ad hypotesin, hoc est, plagium Kauffungi & illud insecutam poenam veniendum sit, minus quis mirari debet, ipsum capite fuisse plexum. Multae enim hic circumstantiae obveniunt, quae plagium hoc

hoc vel maxime aggravant. Quas breviter recensere,
ut atrocitas ejus patefcat magis, jam institutam.

§. 25.

Nempe si autorem sceleris ipsum videamus, fuerat
is civis, vasallus, imo Electoris ante minister non ultimæ
caveæ, nec uno fidei & obsequii vinculo eidem obstrictus:
cui Princeps propter offensam & satisfecerat, & in reli-
quis si æqua postularet satisfacere quoque paratus erat; nisi
quo minus id fieret, ipse postmodum importuna sua men-
tis pertinacia effecisset. Hic Domino suo non servum, non
liberum & ingenuum hominem; sed par Filiorum, quo
Serenissimæ Domus & regionum salus innitebatur, scele-
ratis plane artibus rapuit: ut, quam nefandis ausibus spe-
cioso quodam titulo præferebat, injuriam ulcisceretur.
Si ergo nefas est, servum furari; flagitium, liberum homi-
nem abducere; quantum scelus erit, Principis ac Do-
mini sui filios, fulcra Domus, & spes patriæ, auferre?
Verba vix invenio, quibus sceleris hujusce immanitas
describi possit. Certe simile illud est, si non par, crimi-
ni, quod læsæ vocant Majestatis, in quod apud omnes
gentes severissime animadversum fuit semper.

§. 26.

Unde non video, qui Kauffungus cum complici-
bus de supplicio ipsis irrogato conqueri potuerit. De
complicibus quidem ejus nihil memoriæ proditum est:
Kauffungum tamen morti vicinum, multa incassum
verba pro se fecisse, constat. An vero eo nomine ve-
niam meritus est, quod vitæ Principum, quam in ma-
nibus habuit, pepercerit. Quia nimirum antea plagi-
um non erat, quod divinæ pariter & humanæ leges
morte expiandum sanxerunt; nisi etiam Principibus
suis sceleratas inferret manus. Si servum rapuisse, ad

E

plagi-

plagium sufficit; quo in loco Principum raptum numerabimus? At liberati postmodum fuerunt. Sed num Kauffungi beneficio illud accidit? Num Principem suum tradidit? Moseno equidem & Schönfelsio, quod sponte Ernestum reddidissent, vitæ venia concessa, non quia illam commeriti essent; sed ut singularis clementiæ documentum ederet Elector mitissimus. Hinc tantum abest, ut venia se dignum esse, Kauffungus testatum fecerit, ut ne plagii quidem a se crimen amoliri potuerit.

§. 27.

Si enim fur nocturnus, qui rerum tantum nostrarum raptor est, ex lege divina Exod. XXII. 2. Platonis de LL. libr. 9. Solonis apud Demosthenem Orat. contra Timocratem, quæ inde in XII. tabulas relata (*si nox furtum faxit, si aliquis occidit, jure occisus esto,*) jure interfici potest: quod ulterius declarant viri in his literis summi, *Godofredus ad LL. XII. tabb. tab. II. p. 46. H. Grotius l. II. c. 1. §. 11. de J. B. & P. Pufendorfus de J. N. & G. l. II. c. V. §. 16. 17. Bœclerus & Ziglerus in Not. ad Grotii locum citatum;* multo magis justum fuerit, morte affici, qui noctu tam atrox admisit plagium. Quanto enim homo liber (h. l. Principum par) aliis præstat rebus; tanto graviori crimine se obstrinxerit, qui eum rapit atque abducit. Si Kauffungus cum suis complicibus, noctu ἐπ' αὐτοφόρω fuerit interfectus, nemo illis injuriam fuisse factam, affirmarit. Quid igitur obstet, quo minus id patrato jam scelere, de plagiarario hoc in fuga deprehenso & sententia judicis damnato affirmemus?

§. 28.

Kauffungus eque ad tribunal perductus, ut juxta latam judicis sententiam, capitis supplicium subiret, causabatur, facinus suum vel ideo veniam mereri, quod Principes raptos servasset illæsos. Verum hoc ipso plagii crimen a se eum non amoliri, jam §. XXVI. annotavimus; cum ad illud non requiratur, ut plagio raptus vel vendatur, vel occidatur. Quamquam si id fiat, plagium censeatur atrocius. Ideo in lege Hebræorum, quod forte apud eos frequentius accideret, illa conditio (*si vendatur*) addita fuit: De qua Hebræorum Magistri apud *Hottingerum, de Jure Hebr. Leg. sect. VI. L. XXXVI.* videndi sunt. Kauffungi plagium sat aggravat, quod Domini sui filius, Principes Juventutis, in quibus spes & salus populi recumbebat, contra sanctissima jura abduxerat. Facile præterea evenire potuisset, ut in tanta illorum consternatione, vel præcipitato itinere, casus intervenisset, quo illi tenerioris quippe adhuc ætatis, vitæ jacturam fecissent. Quæ inde calamitas patriam mansura fuisset, ex rerum quæ isthac tempestate in Germania & Bohemia erat, facie, quivis prudens æstimare potest. Stat ergo sententia, justissimas Kauffungum pœnas dedisse.

TANTUM.

S. D. G.

COROLLARIA.

I.

Albertus noster, Dux Saxonix, titulum fortissimi herois meruisset, si maxime ab Innocentio VIII. *dextra imperii manus* non fuisset appellatus: Digna sunt, quæ hic de

eo

QX 7c 1471

colegantur *Cranzii* verba, Saxon. l. XIII. c. 27. in castris moriens defecit, Princeps animo & rebus gestis egregius, qui canos suos multis bellis pro imperio Romano fatigavit.

2.

Germania potentia Galliam longe superat.

3.

Nulla re multitudinem efficacius, quam superstitione regi, recte affirmat *Curtius*.

4.

Quod *C. Tacitus* de antiquis Germanis notavit: illud ex libertate vitium, quod non simul, nec jussi, conveniant; id etiamnum valet.

5.

A sacerdotibus turbidis multas subinde turbas excitatas fuisse, omnis historia loquitur.

6.

Nec docti, nec prudentes viri ex phaleris titulorum æstimandi sunt.

7.

Si ex bono malum nascitur, non ideo bonum malum censendum est.

8.

Recte apud *Corn. Tacitum* innocentes pronunciantur, qui inauditi damnantur.

9.

Ex compendiis historicis vulgaribus, verus historiae fructus percipi nequit.



72



n castris
ius, qui
erstitio-
t: illud
veniant;
s excita-
lorum
malum
cianur,
historia

ULB Halle 3
004 778 804



V077





4-18-1713

H




KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Vc 1471

TU
Alberti
ON. DUC.

IPSIENSI,

BERG, P.P.

DECANO,
Guo Venerando,
C. XC.
C.

elff Senff/
Elector.

E,
FLEISCHER.

Mr. Dr. Pauli

3

